

DISTINCTIO XV

Resoluta ac distincta divisio huius distinctionis, in qua quidem prosequitur Magister exacte patefacere missionem Spiritus Sancti, aperiens scilicet Spiritum Sanctum se se quandoque mittere.

HIC CONSIDERANDUM etc. Postquam ostendit magister Spiritum Sanctum non solum aeternaliter, verumetiam temporaliter procedere a patre et filio. Hic ostendit eundem Spiritum Sanctum temporaliter procedere a seipso, et dividitur in tres partes, quia primo Magister ostendit Spiritum Sanctum quandoque mittere seipsum. Secundo declarat hoc per simile ex missione filii sumendo exemplum. Tertio inquit utrum patrem vere possimus dicere missum. Secunda ibi, 'ne autem mireris'. Tertia ibi, 'hic quaeritur cur pater'. Istarum partium secunda dividitur in duas, quia primo magister quantum ad missionem filii ostendit missionis multiplex esse principium. Secundo ostendit eiusdem missionis diversum esse modum ibi, 'hic quaeritur utrum semel'. Prima in duas, quia primo praemittit suam intentionem. Secundo prosequitur eam ibi, 'De Spiritu Sancto enim legitur'. Et haec in quattuor, quia primo ostendit patrem mittere filium et Spiritum Sanctum. Secundo ostendit patrem et Spiritum Sanctum mittere filium. Tertio probat specialiter Spiritum Sanctum mittere filium. Quarto ostendit filium dare et mittere seipsum. Secunda ibi, 'quo circa quaerendum est'. Tertia ibi, 'Deinde ostendit esse datum'. Et haec in quattuor, quia primo ostendit filium dare seipsum. Secundo ostendit quod filius mittit seipsum. Tertio obiicit in contrarium. Quarto ponit recapitulationem praedictorum. Secunda ibi, 'quod autem a se mittatur'. Tertia ibi, 'sed ad hoc opponitur'. Quarta ibi, 'Ex supradictis'. Tunc sequitur illa pars, 'Hic quaeritur cur pater'. Et dividitur in duas partes, quia primo excludit a patre omnem passivam missionem. Secundo removet unam falsam opinionem ibi, 'ideoque putaverunt' etc. Circa istam distinctionem 15. quaero

Quaestio I

An cuilibet personae divinae conveniat mitti?

Perspicuum sane est, missionem esse in divinis, quippe quae, cum quid essenziale importet, de principali tamen significato active omnibus divinis personis ascribitur, licet passive duabus dumtaxat deputetur.

UTRUM CUILIBET divinae personae conveniat mitti? Et videtur quod sic, quia secundum Beatus Augustinus 4. De Trinitate¹, duo sunt modi missionis divinarum personarum. Unus visibilis, cum persona divina apparet in aliqua visibili creatura. Alius invisibilis, dum persona divina percipitur et cognoscitur in mente devota. Sed omnes divinae personae apparuerunt in visibili creatura Abrahae, cum ipse tres vidit et unum adoravit. Et similiter in monte transfigurationis scilicet pater in voce, Spiritus Sanctus in nube et filius in humana carne. Et etiam omnes tres personae quandoque perceptae sunt a devota mente, ergo tam visibilis, quam invisibilis missionis modi videntur convenire cuilibet divinae personae. CONTRA secundum Beatum Augustinum 4. De Trinitate² illi repugnat mitti, qui habet auctoritatem universalis principii. Sed pater in divinis habet auctoritatem universalis principii, ergo patri repugnat mitti. Circa istam distinctionem 15 quattuor sunt videnda. Primo, an missio sit in divinis. Secundo,

¹Cap. 20 tom. 3

²Cap. 21 tom. 3

quid sit huiusmodi missio, puta utrum sit aliquid essenziale vel notionale. Tertio, utrum cuilibet divinae personae conveniat missio active. Quarto, utrum cuilibet divinae personae conveniat missio passive.

QUANTUM AD PRIMUM principale, utrum missio sit in divinis, dicendum quod vere concedere possumus missionem esse in divinis, quia ubicunque est dare plures personas, quarum una habet virtutem et auctoritatem ab alia, ibi vera potest dici missio. Sed filio in divinis virtutem et auctoritatem habet a patre, et Spiritus Sanctus ab utroque, ergo etc. Maior patet. Propter hoc enim radius solis dicitur mitti a sole, quia virtutem habet a sole; et legatus dicitur mitti a Papa, quia habet auctoritatem a Papa. Minor etiam patet, quia quicquid habet persona producta, hoc habet a producente. Unde de missione filii dicitur: 'Misit Deus filium suum' etc. Et de missione Spiritus Sancti dicitur: 'Si ego non abiero paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos'. FORTE DICETUR quod secundum Dionysium in De Angelica Hierarchia angeli superiores semper assistant Deo et non mittuntur propter sui dignitatem. Sed quaelibet divina persona est dignior omni angelo, ergo inter personas divinas nulla erit missio. DICENDUM quod licet in creaturis mitti semper implicet aliquid indignitatis et mutabilitatis, quia cum creatura mittitur, tunc cum sui aliquali mutatione movetur illic, ubi prius non erat. Ideo rationale est ut superiores angeli non mittantur. Sed quia Deus ubique est, ideo sine sui mutatione, et per consequens absque omni imperfectione persona divina mitti potest, quia non mittitur ubi non erat, sed solum qualiter non erat, novum scilicet effectum causans in creatura sine sui mutatione, sed mutatione solius creaturae, ergo mitti nihil indignitatis dicit in persona divina.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum missio sit aliquid essenziale vel notionale, est advertendum quod nomina in divinis videntur esse tripartita. Nam quaedam sunt pure notionalia, ut 'pater', 'filius'. Quaedam pure essentialia, ut 'Deus', 'deitas', 'essentia' et similia. Quaedam vero, quamvis secundum se sint essentialia, connotant tamen respectum ad personam, ratione cuius aliquo modo notionalia dici possunt, sicut 'potentia generandi', de qua dictum est superius distinctione 7. Et de nominibus istius tertii ordinis videtur esse missio. Importat enim respectum personae missae ad suum principium productivum, maxime si missio sit principalis auctoritativa. Talis autem respectus est notionalis. Importat etiam respectum causae ad effectum temporalem, qui respectus est essentialis, quia communis est tribus personis, et quia nomen missionis ab effectu temporali potius est impositum quam ab emanatione aeterna personae a persona. Ideo missio in divinis potius dicitur quid essenziale, quam notionale. SED CONTRA illud est quaedam opinio, quae dicit quod missio principaliter importat intellectum notionis, quam essentiae, quia missio Spiritus Sancti est eius processio, [171] ergo est notionalis. Consequentia patet, quia processio est quid notionale. 2 Praeterea, illud, quod importat originem ab altero, notionale est. Missio est huiusmodi, quia 4. De Trinitate dicit Augustinus³: 'Mitti filium est cognoscere, quod ab alio sit'. Et ibidem ait 'filium missum a patre, non quia ille maior est, iste minor; sed quia ille genitor est, et iste genitus'.

DICENDUM ad haec cetera consimilia, quamvis concludant missionem dicere quid notionale connotative, tamen hoc non concludunt, quo ad principale suum significatum. 'Missio' enim significant effectum realem ex parte creaturae, et omne tale est essenziale ut patet per Dionysium in multis locis. Item omne, quod est commune tribus divinis personis, est essenziale. Sed missio active sumpta est communis tribus divinis personis, ut patebit in tertio articulo, ergo etc. QUANTUM ad tertium, utrum cuilibet divinae personae conveniat missio active, sic procedam. Primo enim ponam illud quod in illo articulo mihi videtur esse tenendum. Secundo videbitur

³Cap. 20 tom. 3

utrum Spiritui Sancto conveniat mittere filium. Tertio, utrum Spiritui Sancto conveniat mittere seipsum. Quo ad primum igitur, cum petitur utrum cuilibet divinae personae conveniat missio active, conformando me dictis sanctorum et magistri in littera, dico quod sic: quia quando aliqua sic se habent, quod omnia eorum opera sunt penitus indivisa, nihil in talibus operibus potest uni competere active, nisi alteri competat active. Sed secundum Damascenum et Augustinum exceptis solis productionibus ad intra, omnia alia opera trinitatis sunt communia tribus personis et penitus indivisa, ergo etc. FORTE DICETUR contra illam conclusionem sic. In omni ordinata legatione legatus sive missus recipit auctoritatem seu potestatem a mittente seu delegante. Sed, sicut dicit Anselmus⁴, quicquid a Deo sit, ordinate sit, et Spiritus Sanctus nulli personae divinae tribuit potestatem, ergo Spiritus Sanctus nullam personam divinam mittere potest, seu delegare. Maior patet et similiter minor, quantum ad primam sui partem. Altera sic probatur,; quia sicut persona divina produciens et non producta se habet ad recipere potestatem ab alia divina persona, sic se habet persona producta et non produciens ad conferre potestatem alteri personae divinae. Sed propter primum persona patris a nulla persona divina recipit potestatem, ergo propter secundum persona Spiritus Sancti nulli personae divinae tribuit potestatem. 2. Praeterea, mittere et mitti habent esse in divinis ex producere et produci, sicut patet per Augustinum 4. De Trinitate⁵. Sed cuilibet personae non competit producere, ergo cuilibet personae divinae non competit mittere. AD PRIMUM dicendum quod mittere active potest intelligi dupliciter. Uno modo principaliter et auctoritative, alio modo consequenter et determinative. Primo modo mittit solus ille, qui tribuit potestatem legato seu misso. Secundo modo mittunt omnes illi, qui talem legatum destinant ad usum, et executionem iam acceptae potestatis. Unde posito, quod solus imperator alicui legato tribueret imperialem auctoritatem, cuius potestatis usum et exercitium imperator non immediate vellet procedere. Assessores autem et amici imperatoris una cum imperatore determinarent quando, ubi et circa quid talis legatus iam dictam potestatem ab imperatore receptam deberet exercere, quamvis huiusmodi legatus principaliter et auctoritative a solo imperatore mitteretur; consequenter tamen et determinative mitteretur ab omnibus, qui talem legatum ad suae legationis officium exercendum destinarent per suam determinationem. Et de isto secundo modo mittendi loquendo, maior non est vera, et ideo nihil concluditur in proposito, quia quamvis persona produciens mittat personam productam, tamquam auctoritatem ei tribuit, quia persona produciens maiestatem et potentiam, quam habet in se, communicat personae productae, tamen illa commissa potestas non ponitur in executione quo ad extra, nisi de communi voluntate et determinatione omnium trium personarum; ideo secundo modo praedicto omnes divinae personae vere dicuntur mittere. FORTE EX HIS dicitur contra rationem, quam feci pro conclusione, quia ex quo collatio potestatis activae solum convenit personae producenti, ergo quamvis indivisa sint opera trinitatis, tamen active aliquid convenit uni personae quod active non convenit omnibus personis, cuius oppositum videtur esse assumptum in maiori rationis tuae. RESPONDEO, quod omnis potestas seu auctoritas, quae confertur personae productae a producente, illa confertur ex vi productionis. Unde per actum generationis pater communicat divinam essentiam et omnipotentiam filio, et pater et filius per actum spirationis haec communicant Spiritui Sancto, secundum istos vero actus non est indistinctio vel divisio in divinis, immo est realis distinctio. Licet igitur active conferre auctoritatem conveniat uni personae et non alteri, hoc tamen non est contra illam maiorem, quam assumpsi, quia expresse ibi loquor de ista activitate, quae talibus convenit secundum opera, quae ab ipsis procedunt indistincte. Et ex his patet quid sit dicendum ad secundum, quia quamvis mittere primo modo habeat esse per producere, eo quod potestas communicetur personae productae ex vi productionis, tamen secundo modo habet esse ex communis voluntatis determinatione omnium trium personarum. QUO AD secundum propositum illius tertii articuli dico, quod Spiritus

⁴Elicitive ex Monol. Cap. 6

⁵Cap. 10, tom. 3

Sanctus mittit filium, non primo modo superius dicto, cum sibi nullam tribuat auctoritatem, sed secundo modo, quia filius est legatus Dei patris. Iuxta quod ait Abdias in principio sui libri. Legatum misit Deus ad gentes et hic legatus accepit auctoritatem ab aeterno a Deo patre, ut mentes hominum valeat illustrare. Ad tales enim operationes exercendas dicitur mitti filius, eo quod conformes sint sapientiae, quae est appropriatum filii. Sic etiam Spiritus Sanctus mitti dicitur, quando fiunt in nobis opera pietatis et misericordiae, quae respiciunt amorem et caritatem. Licet igitur ex hoc pater miserit principaliter et auctoritative, tamen quia determinatio illi auctoritatis ad usum et executionem facta est per divinam voluntatem, quae vere est voluntas Spiritus Sancti et aeque sicut patris et filii. Ideo, ut scilicet determinative et ad usum destinative non solus pater, verumetiam Spiritus Sanctus mittit ipsum filium. Et illa videtur esse expressa intentio Augustini 2. De Trinitate⁶, ubi ait: ‘Mitti a patre filius sine Spiritu Sancto non potuit. Nam pater intelligitur eum misisse, quia ex femina eum fecit, non utique sine Spiritu Sancto hoc fecisse dicitur’. Et eodem capitulo Augustinus exponens illud Isaiae verbum, ‘Misit me dominus et spiritus eius’, dicit hoc esse intelligendum de missione filii Dei in mundum pro carnis assumptione. SED HUIC conclusioni contradicit quorundam doctorum opinio. Dicunt enim quod verbum divinum tripliciter mittitur. Uno modo in carnem. Alio modo in mentem. Tertio modo ad faciendum praedicationem. Primis duobus modis, ut dicunt mittitur filius a solo patre, sed tertio modo mittitur a Spiritu Sancto. Ratio quo ad hoc est, quia missi auctoritas dependet a mittente, sed filius Dei in nullo dependet a Spiritu Sancto, nisi secundum assumptam humanam naturam, secundum quam praedicavit in mundo, ergo etc. 2. Praeterea, mittit et mittere sunt opposita relative, et similiter produci et producere, tunc arguitur sic. Quandocunque unus terminus relativus includit alterum terminum relativum, tunc terminus correlativus includentis includit terminum correlativum inclusi. Sed mitti includit produci, ergo mittere includit producere. Cum ergo Spiritus Sanctus non producat filium, ergo non mittet eum. 3. Praeterea, si oppositum in opposito [172] et propositum in proposito, sed mittere et mitti sunt opposita, et mitti secundum Augustinum est originari, ergo mittere est originare. Sed spiritus sanctus non originat filium, ergo neque mittet ipsum. 4. Praeterea, si non est de ratione mittentis personae, quod originet missam et propter hoc Spiritus Sanctus potest mittere filium, tunc pari ratione filius posset mittere patrem, quod est contra omnem veritatem. 5. Praeterea, persona mittens dicitur operari per personam missam, pater enim dicitur diffundere caritatem per Spiritum Sanctum et illustrare, ac erudire per filium. Sed Spiritus Sanctus non operatur per filium, ergo etc. SED BENE intellecta distinctione, quam praemisi superius, illa omnia laborant in aequivoco. Omnia enim arguunt de mittente principaliter et auctoritative, non autem de mittente consequenter et determinativae, seu ad usum destinative. AD PRIMUM ergo dicendum, quod maior non est vera, loquendo de mittente secundo modo dicto. Ad secundum dicendum quod, quamvis mitti includat produci, tamen non includit produci a mittente determinative et destinative, sed includit produci a mittente principaliter et auctoritative. Omnis igitur persona, quae mittitur, illa etiam producitur, sed non producitur a quolibet mittente, sed solum a principali. Et per idem patet ad tertium, quia dato quod mitti a principali mittente esset originari, non tamen a consequenti et determinativo mittente. Ad quartum nego consequentiam, quia cum de ratione legati sit, quod ab alio habeat potestatem et non praecise a seipso, pater autem praecise a seipso et non ab aliquo alio habet potestatem, ergo repugnat patri quod mittatur. Hoc autem non repugnat filio, cum filius non seipso, sed ab alio, puta a patre habeat potestatem delegatam, patri igitur repugnat uterque missionis modus passive sumptus. Primus quidem, quia non habet auctoritatem ab alio; et secundus, quia non cuiuscunque auctoritatis determinatio dicitur missi, sed solum determinatio auctoritatis seu potestatis delegatae ab alio. Dato enim quod imperator a seipso, vel ab alio determinaretur ad exercitum suae potestatis, ex hoc tamen non diceretur mitti vel legari, maxime si ille imperator esset talis, quod a nullo

⁶Cap. 5 tom. 3

penitus dependeret in cuiusculque perfectionis collatione, sic de persona patris etc. Ad quintum dicendum quod maior non est vera, nisi sit persona mittens principaliter, illa enim dicitur operari per personam missam, sed non persona mittens consequenter. QUO AD TERTIUM hic inquirendum dico quod persona divina missa ab alia persona principaliter et auctoritative, mittit seipsam consequenter et determinative. Sicut enim, si totum capitulum mittit uniformiter unum, qui est de corpore capituli, tunc missus mitteret seipsum, sic hic in proposito etc. Hic transeo, quia applicatio istius patet ex praecedentibus. SED CONTRA illam conclusionem arguunt iidem doctores, qui et superius arguebant contra secundam conclusionem sic. Semper inter mittentem et missum oportet dare distinctionem, sed eadem persona divina non potest esse a seipsa distincta, ergo etc. 2. Praeterea, subordinata est potestas missi respectu mittentis, sed idem respectu sui non habet potestatem subordinatam. 3. Praeterea, mittens respectu missi habet auctoritatem, sed etc. Sed ad illa et cetera consimilia dico breviter, quod omnia procedunt de mittente principaliter, ut superius dictum est.

QUANTUM ad quartum, utrum cuilibet divinae personae conveniat missio passive, teneo conclusionem negativam, quia pater non mittitur, ergo mitti non convenit cuilibet personae divinae. Consequentia patet. Antecedens ponit Beatus Augustinus 4. De Trinitate⁷ et probatum est etiam superius et adhuc potest probari sic. Persona habens in se auctoritatem universalis principii, illa non potest mitti. Pater est huiusmodi, ergo etc. 2. Praeterea, si pater mitteretur, vel ipse mitteretur primo modo superius dicto, vel secundo. Non primo, quia non habet potestatem ab alio. Nec secundo, quia missio secundo modo dicta praesupponit primam, quaecunque enim persona mittitur, vel destinatur determinative, eadem mittitur auctoritative, quia ut superius dictum est, potestas determinabilis in misso vel in legato non est potestas primordialis per se autentica, sed est potestas delegata, et per consequens habens talem potestatem, mittitur a delegante, qui ei contulit potestatem. SED FORTE dicitur, quod actio reciproca convenit cuilibet personae divinae active et passive, sed mittere est actio reciproca, ergo etc. Maior patet, quia pro tanto, quod intelligere est actio reciproca, ideo convenit patri active et passive. Nam pater intelligit se et intelligitur a se. Minor patet, quia illa actio est reciproca, quae convenit alicui reflexe supra seipsum. Sed sic convenit missio personae divinae, quia, ut patuit in tertia conclusione tertii articuli, divina persona mittit seipsam. 2. Praeterea, Beatus Augustinus 4. De Trinitate⁸ ait quod ‘filius mitti dicitur ex eo, quod cuiusquam mente ex tempore percipitur’. Si igitur illa est causa sufficiens missionis, cum pater non minus quam filius mente percipitur, sequitur quod etiam pater mittatur. AD PRIMUM dicendum quod, licet missio possit aliquo modo dici actio reciproca, tamen passive non potest convenire, nisi personae habenti auctoritatem delegatam, seu ab altero communicatam. Hoc est enim de ratione missi seu delegati, quod habeat auctoritatem delegatam, et ideo missio passive patri convenire non potest, cum ipse a nullo habeat potestatem. Ad secundum dicendum quod ad hoc, ut persona vere dicatur missa, non sufficit talis mentalis perceptio, sed oportet quod sic percipitur, quod ab alio aliquo modo esse cognoscatur. Propter quod in eodem capitulo dicit Augustinus: ‘Pater cum ex tempore a quo quam cognoscitur non dicitur missus’. Et subdit causam dicens, ‘non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat’. Ut ergo de illa invisibili missione finaliter concludamus, est advertendum quod in illa materia novem propositiones possunt formari, quarum tres sunt omnimodo falsae, tres omnimodo verae et tres uno modo verae, et alio modo falsae. Ista tres, ‘pater mittit seipsum’, ‘filius mittit patrem’, ‘Spiritus Sanctus mittit patrem’ sunt omnino falsae, quia pater nec potest mitti auctoritative, nec determinative. Sed istae tres, ‘pater mittit filium’, ‘pater mittit Spiritum Sanctum’, ‘filius mittit Spiritum Sanctum’, sunt omnino verae, scilicet auctoritative et determinative. Ista autem tres, ‘filius mittit seipsum’, ‘Spiritus Sanctus mittit seipsum’, ‘Spiritus Sanctus mittit filium’ sunt uno modo verae, scilicet

⁷Cap. 21 tom. 3

⁸Cap. 20 tom. 3

determinative, et alio modo falsae, scilicet auctoritative. AD ARGUMENTUM principale patet ex his, quae dicta sunt superius, quia non omnis apparitio divinae personae est missio. Nam apparitio, quae debet esse missio, praesupponit emanationem personae apparentis, quia nisi esset persona producta, tunc non haberet auctoritatem delegatam et ab altero communicatam, quod esset contra rationem missi, seu delegati, et sic argumentum non concludit, quod intendit.